Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1713
Quelle:
Copyright:



*que tutum est: utinam vero integre fuisset assignatus. Nam erat adhuc alius* (Codex) *ejusdem nominis, ad quem ille remittebat frequenter, qui deperiit: quo dici non potest, quantum caruerimus ægre ad restitutionem. Nam multa non cohærebant, multa vetustate nimia erant abrasa, quædam sic scripta ab librario, ut nesciremus, quid vellent. Unde coacti sumus, ubi obscuriora erant loca, asteriscos in margine signare, ubi defuisset aliquid, vel desiderabatur, binos asteriscos. Noluimus enim temere aliquid vel abradere, vel inculcare, de quo prius certissimi non eramus. — Praeterea totum illum splendorem, quem vides, in capitum et librorum digestione nos indidimus. Nam prius perpetua fluebat oratione* &c. Splendorem certe Inscriptionibus *Brunfelsianis* conciliant intrusi *Monachi*, *Sacerdotes Papistici*, *Papa Bestia cornuta* &c. et perbelle conspirant cum verbis Autoris, quibus hic *Caput* nobis 29. *Brunfelsio* 28. claudit: *Nam puto coram christo iesu deo pijssimo quem summe obsecro et continue ut non me permittat decipi a malignis spiritibus*, puto inquam humiliter me subiciens et eidem et ecclesie sue sacrosancte romane, ut ipsa uideat et iudicet omnia et singula que hic scribo vel vmquam sum scripturus, *Puto igitur quod hic posita de bestia de adoracione eius multa uel omnia concordent in tempore et numero et materia cum illis que ibi traduntur de locustis.* Ita repetit Autor, quae supra in Praef. de *Romana Ecclesia* dixerat. At religiosus vir, qui professus erat nolle se *temere aliquid vel abradere vel inculcare*, aut fortasse jam ante illum *Huttenus*, totam illam περιικοπην, quam charactere *rotundo* expressimus, aut abrasit, aut subticuit non sane magna ingenuitatis suae commendatione. — Quanquam porro Formula mox adlata, ut *Codicem* nostrum terminat, ita et ipsum *Librum* III. terminare videatur, multis tamen ille *Capitibus* in edit. excurrit. Quid vero *Libro* III. et IV. factum sit, hactenus ignoro, nisi quis dicat, eos idem esse cum Tractatu *de Corpore Christi*, qui edit. *Opp. Hussi cit.* T. I. p. 202. legitur, quamvis admodum succinctus sit. Comparet haec Lector ad ea, quae *Codici* DLII. adnotata sunt, et tum inter *Matthiam Paris.* et *Joh. Hussum* decernat.

## CCCCXXXVI.

Codex chartaceus boh. lat. 907
Sec. XV. Folior. 180. 4. non ab una manu perscriptus et rubricis enotatus sequentia complectitur: I. Duas *Joh. Hussi* Epistolas, quarum prior latine reddita extat Opp. *edit.* 1715. T. I. p. 72. *num.* 2. scripta sub ipsum illius abitum ad Concilium *Constant.* In hac Epistola legitur: *Agizt wipravilsem sie naciestu bez kleitu*, latine: *Et jam itineri me accinxi sine Comitatu* vel *Conductu*; quod, nescio qua fide,

Interpres